

**Tripes haiterbacensis, cujus secundam considerationem dogmaticam ... /
... sumsit Johannes Dannenberger.**

Contributors

Dannenberger, Johann.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Furstenberg Collection.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Loeffleriae viduae, [1755]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qaupjeh7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61325/P
TRIPES
HAITERBACENSIS,

CVJVS SECVNDAM
CONSIDERATIONEM DOGMATICAM

PRAESIDE
GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT.
CHIRVRG. ET ANATOMIÆ PROF. PVBL. ORD.
MEDICO AVLICO WIRTEMB. FACVLTATIS
MEDICÆ SENIORE,
p. t. VNIVERSITATIS RECTORE

PRO
GRADV DOCTORIS IN MEDICINA

RITE AMBIENDO
PVBLICE DEFENDENDAM SVMSIT
IOHANNES DANNENBERGER, *Efslingensis.*

A. DIEM

MDCCLV.

TVBINGAE,
Typis LOEFFLERIAE VIDVAE.

Suppl. / P / DAN

Q.

Τίς ἥμαρτεν, ἔτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτῶ. Joh. IX. ψ. 2.

R.

OMNES. Rom. V. ψ. 12.



347758



L. B.



ostrum scire quidem, aut nescire, nihil variat
res.

Non est proinde ignis calidus, nix alba, ni-
tens sol,

Quod scimus sic esse: immo magis ordine
certo,

Nascitur ex ipsis humana scientia rebus:

Atque ideo scimus sic esse, quod ipsa ita res est,

Et mens nostra potest falli, non res - - -

Num quæso in nobis igitur non rebus in ipsis

Est casus: quoniam fieri casu sæpe putamus

Quorum causa latet nos! - - -

Num fieri aut errore, aut casu MONSTRA putandum,

Quum certas habeant causas, ut tristia monstrent?

Num sponte hæc natura facit, quæ sæpe jocatur


Informes edens partus, ludrica creando:

*Vt Pictor, qui causa animi quandoque figuras
 (Sit licet ipse opifex bonus, egregiusque Magister)
 Gibbosas, Naso ingenti, labroque tumentis,
 Pingit, digna satis vanò spectacula vulgò?*

Hicce MARCELLI PALINGENII, quæ L. VIII. protulit, verbis, paululum immutatis, lubricam de *casu* sententiam petere & expiscari potius, quam iisdem nil mutatis dicere, placet. Siquid tamen licet dicere, ex ipsius laudati Poetæ ore repeto :

*Hoc facile agnoscet, qui, quam mirò ordine, quamque
 Perpetuò, quam concinne & bene machina mundi
 Condita sit, secum reputet, quam membra animantium
 Sint propriis aptisque locis dispòsta, suisque
 Utilia officiis & convenientia pulchre,
 QVAM NIHIL IN CASSVM FACIAT NATVRA DEVSQVE.*

Monstra divinæ plane originis esse, dictu durum omnino videtur. *Casu* nata esse, affirmatu haud facile est. In sub-
 stituto exemplo hac vice sumam posterius. Nil video, ex
 quo hac in causa justo me esse morosior, suspiciose quis
 possit judicare. Qui sano sensu contrarium statuerit, mihi
 saltem non audiet *hereticus*. Equidem tacite non habeo, ex
 iis me haud esse, qui sese esse, quam alios non esse, aut di-
 cere, *hereticos*, malunt, vel inani *heresis* alicujus suspicione pa-
 nicum excitant, aut excitari forte posse, scrupulosius ominan-
 tur, quotiescunque cogitant audiuntve *hypothesin* paulisper
 ambiguam, quæ tamen, si rectius caperetur, sine ullo &
Religionis & *Reipublicæ* periculo facile stare posset & tolerari.
 Hac sentiendi libertate infantulam istam *tripedem*, quæ
 nuper nostras in se defixas detinuit meditationes, *divinæ non*
esse profapiae, demonstratum ibo. Eâdem æquitate alias con-
 nexas propositurus sum quæstiones, admodum intricatas, val-
 de



de disputabiles & ab omni parte momentosas ideoque excussu quam dignissimas. Dabo ad istas, quas animo conceptas habeo, responsiones, salvis melioribus, nec tam docendi, quam potius, sub proximo maxime in istas instituendo discursu publico, discendi, studiô ductus, ubique expectans propitios Eruditorum calculos.

Præcognoscenda.

§. 74.

Paragraphum præsentem septuagesimô quartô heic designari numerô, neminem offendet. Ita enim hic primum ultimo nuperrimæ de tripede ista dissertationis in divulgâ respondere serie, non abs re esse, judicavi. Suadebant id connexæ circa eandem deformatam occupatæ meditationes nostræ. Faciliores ita quoque erunt antecedentium *citationes*, hæc paginas retro transgressuræ & ex priori dissertatione facile repetendæ. *Priorem dissertationem* jam acceperunt eorum plerique, in quorum hæc veniet manus. Qui illam vero nondum possident, hujus forte occasione desiderabunt. Sin eâ non esset felicitate hæc opella, pace nostrâ poterit obijci, priori non desideratâ. Præterea nec tanta utriusque est necessitas, ut neutrâ sine altera liceret uti.

§. 75. Easdem (§. 74.) ob rationes *tertiam* jam nunc proponam *questionem*, nullâ antecedentium hic videndâ. Ob oculos adhuc versatur notatu dignior *monstrôsa* illa *puella tripes Haiterbacensis*, cujus vel solus aspectus in vulgarem non solum nos rapiat admirationem, sed & ab hac in profundiores de ista abripiat meditationes (§. 39), oportet. Communicavi nuper, connexis connectendis, aliquam illius considerationem *historicam* (§. 30 — 34), aliquam, repeto, reliqua enim post mortem illius demum expectanda est (§. 27.). Aliquam præterea adgressus sum considerationem *dogmaticam*

eam (§. 37 — 72.). Promissi ulteriorem (§. 73.). Standum ergo nunc erit promissis. Respice igitur B. L. hanc, mirifice deformatam, cujus effigiatus hunc in finem denuo hic affixus est. Inde mecum, si placet, in ultiores descende contemplationes, non in jucundas nec inutiles (§. 4 — 6, 29, 39.).

§. 76. Ita vero concatenatâ meditationum serie (§. 74, 75.) & ordinis hujus prælibatâ ratione (§. 39.) in rem ducor præsentem. *An & quibus monstrosis nostra accensenda sit tripes?* primæ priores erant *questiones* (§. 38. n. 1, 2.) quas in antecedenti tractavimus dissertatione. Sequentes, nunc excutiendæ, ibidem ita habent: 3) Quæ hujus extra consuetum modulum factæ fabricæ *causa efficiens*? an à Deo producta? 4) an *speciatim* ab ipso creata? an specialius vel *æternô*? vel *primordiali*? vel *succedaneo* potentiæ creatricis opere? 5) an aliâ? vel *immediatâ*? vel 6) *mediatâ* & remotiori operâ? an *divinitus præstitutô* ad ejusmodi *necessitatem*, vel *absolutam*, vel *hypotheticam*, rerum *nexu* producta? 8) Sin ista autem neque immediato NATVRÆ CREATRICES operi, neque *creatæ naturæ*, sibi relictæ & sponte errantis *fatali necessitati* poterit tribui, quî factum est, ut ad hanc â via consueta aberrationem *creata natura* fuerit sollicitata? *brevius* si nullo modô divinæ, cujus tandem erit profapiæ abformis hæc forma humana? Quam hæc, omnino longe facilius fuit, dicere: *an & quibus accensenda sit monstrosis* deformata nostra puella (§. 71.)? Faciamus nihilominus hujus rei periculum.

§. 77. En! *objecti complexi* explicite determinata momenta (§. 76.). En! *thematis* nostri præfinitos *limites*, quibus in hac circumscribimur *tractatione*.

§. 78. De *themate* fati (§. 77.), de ejus *usu*. De hoc enim, ni certior ubique fuerim prius factus, neque audire, neque legere, neque scribere, quicquam usquam mihi volupe esse sentio. Vel sola dictarum *questionum* (§. 76.) recensio hunc jam innuere videtur. Istæ fane momentosissimas involvunt de DIVINIS circa res creatas CONSILIIS, de *fato*, de *casu*, aliasque *generaliores, questiones*, quibus forte *specialior* hæc consideratio lucem aliquam poterit affundere. Multum enim interest, sollicitius expendere *naturalium phaenomenorum causas effectrices*, ne *crimen læsæ Majestatis* divinæ committamus, ipsique tribuamus, sine piaculo ipsi non tribuenda, vel non tribuamus, quæ ipsius sapientiæ oporteret tribuere. Idem nobis curæ cordique sit, oportet, speciatim in *monstroforum origine* dijudicanda.

§. 79. At hoc (§. 78.) quid ad MEDICVM? posset quis forte obvertere. Ad levidensem hanc objectiunculam facile est respondere. Ecquis enim sine injuria dixerit, MEDICOS à rerum suarum cum divinis nexu ita alienatos esse, ut nil de isto eos sollicitos esse, fas esset. Quam plurima potius in eorum foro ipsis obvertuntur, quibuscum, præ multis aliis, locupletissimas nanciscuntur opportunitates, res suas seque cum hisce aliosque secum ad altiora evehendi & à vulgi erroribus liberandi. Egregia plurimorum in hac re jam edita specimina me tacente id loquuntur. Et hóc rerum *physico-theologicarum* implexu præcipue sese commendat eorum de *monstris* doctrina.

§. 80. Præterea (§. 78. 79.) *privatus* hujus ipsius doctrinæ *usus medicus* haud est nullus. Scire nempe expedit, num pro præcavendis generandorum vitiis aliquid in nostra positum sit arte nec ne, ne, aut frustra tentemus auxilia nostra, aut, ubi spes superest, ea negligamus. Id vero tum demum intelligere erit, ubi constiterit, *casune?* an *fatali necessitate* fiant ejusmodi partus vitiiati? *Ibi* nullam,
hic

hic ullam impendisse operam, utrinque nostro indignum foret nomine.

§. 81. *Methodum* nostris rebus convenientem ideoque inter nos servandam, esse *analytico-systematicam*, neminem latet. Hanc olim dixi (§. 37.), dixerunt eamdem alii. Eam equidem, si non consequor, tamen, *quoad possum & instituti fert ratio*, hac quo vice affectabo. Qui hanc affectationem carpunt, aut in ambiguitatis captione illusionem quaerunt jocosam, aut serius ex supina ignorantia & inde sobolescente cœca arrogantia omnem hanc *methodum* affectatam esse clamitant. Quam enim profunde, obsecro, nesciunt, vel obiter nescire volunt, eruditi orbis sancita, qui aliter statuunt. *Distinctio & ordo*, illud sunt, quod nostram ab aliorum distinguit cognitione. Tolle unum ex hisce duobus *characteribus*, utrum placuerit, & auferes unà, quod de *essentia* hujus est *methodi* ex parte una. Tolle utrumque & auferes eam ex utraque parte. Vtroque vero modò exspirabit *erudita cogitandi ratio* omnis, *methodus* nostra omnis. Ecquæ tum restaret, quam *vulgaris*, alia? Hæccene ergo TUA! De hoc tu videris ipsemet. Ita vero statuere videris. Dicis enim: PERINDE ESSE ET CUIVS LIBERVM, QUACVNQVE QVIS VTI VOLVERIT METHODO. Vah! monstrosum in orbe erudito effatum, inscriptis visu horrendam, in auditoriis auditu plus satis durum, in colloquiis dictu perquam plebejum.

§. 82. Superest unica, quam hic (§. 81.) intactam relinquere non possum, auditu incala. Dicis, dicunt, ut audio, profluentiori & eloquentiori dicendi genere, jucundius quandoquidem & utilius sese insinuare veritatis asserta, quam *technicò* isto siccòque *eruditæ methodi* rigore & scrupulosà sub isto cogitatorum *analyfi*. Addis: perinde esse, quacunque methodò in veritatis propagandæ progressu incessemus, modo ista fuerit ita comparata, ut ad hanc exoptatus pateat adi-

aditus. *Pergis* : hanc sententiam eorum corroborari exemplō , qui pro rostris dicunt , & oratione ad vulgarem popularemque sensum adcommodatā jucunde & feliciter sæpe veritati propagandæ velificantur ; quinimo absonum fore in *Ecclesia* & *Foro* eruditius *rigorosa methodo* res suas agere velle , & *Eruditos* nihilo tamen secius esse & manere , qui sine *scientifica* , ut ajunt , *methodo* , ad plebis usque captum suas dirigere callent doctrinas. *Satis !*

§. 83. Nec hætenus (§. 82.) male , nisi quidem iusto laxius hæc dixeris dixerintque tecum alii. Imprope-
ranter vero & paululum explicatius rem expendamus. Cavere hic oportet , ne cum *methodo analytico - systematica* confundamus *Dialecticam*. *Dialectica* eam denotat artem , quæ ea , quæ ad vulgi captum sunt , feligere , selectaque dirigere docemur. Ergo omnino *Eruditionis* est pars , sed quæ *Eruditos* non *erudite* res suas agere , *erudite* docet. Inde *vulgaris methodi species* , quæ recte *dialectica* nuncupatur , cui altera , pariter *vulgaris* , opponitur , apte *plebeja* dicenda. Posterioris notæ *methodum Eruditos* dedecere quam maxime , facile largiris. Priorem ergo urges , quæ *dialectica* vocatur , hancque istos haud dedecere statuis. Tecum sentio ex parte : *Eruditos inerudita* omnino non dedecet *methodus* , modo *dialectica* sit , h. e. ad *artis dialecticæ* regulas composita. *Eruditos* , repeto , inter *ineruditos* hæc non dedecet *methodus* , dedecet vero istos eadem inter *Eruditos*. Ecquis , quæso , sine rubore amplius dixerit , in foro nostro *arbitrariam* esse *methodum* & liberum plane , quacunque cuivis libuerit uti *methodo*. Nonne hoc idem foret , ac statuere , *Eruditos* non esse *eruditos* , nec eos , qui *erudita* à nobis desiderarent , sed alia. Quam igitur injuriosi in eruditi orbis cives sunt ignobiliori locō nati omnes , qui frivole contrarium sustinere , non erubescunt. Quam ignominiosi denique sunt *eorum* labores , quibus plane degeneres enituntur partus orbique erudito obrudunt.

§. 84. Taceo heic (§. 83.), qui nominari vix merentur, eos puto, qui omnis *methodi* usque sunt expertes, ut nequidem *dialectice* loqui sciant aut scribere. Hi plebejô plane more irrunt, *Eruditorum* circulos velut turbaturi. Hi inconsideratissimæ temeritatis pleni *plebejæ methodi* rusticitate omnia pervagantur, ubique impingentes. Hi crassâ minervâ *postillas* legunt, relegunt, scribunt exscribuntque, sicque post illas illosque *postillas*, *physicas*, *medicas*, aliasque edunt, mirô *postillandi* pruritu perciti. Sit venia verbis. *Monstra* dico formosius vix dicenda. Hic enim videas majoris, ibi minoris voluminis monstruosum *partum academicum*, repetitæ sæpius & variæ *editionis*. Priori haud incongrue subscripseris:

Monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademptum est,
posteriori:

Parturiunt montes, prodibit ridiculus mus.

utrique & similibus:

Tristius haud illis monstrum, nec levior ulla

Pestis, & ira Deum stygiis sese extulit undis.

§. 85. De inculcato (§. 83.) *methodi dialecticæ* ab erudita discrimine erudite differuit CEL. DR. DRESLERVS. Ita vero laudatus Vir in sua de necessitate *analyseos* ad me data epistola: *Quamvis vero hæc omnia reapse ita sint, tamen nec est diffitendum, & DIALECTICAM ARTEM æqualiter esse VTI-LEM ac necessariam. Utuntur hac arte præter Oratores & THEOLOGI, & JCTI, illi in ARTE HOMILETICA, hi in praxi & usu forensi. Nam sermones, quos HOMILIA etiam ad captum vulgi componendos docet, atque libelli, quos PRACTICA JURISPRUDENTIA FORENSIS conscribendos instituit, ANALYSIN omnino*

omnino respuunt; ILLI, quoniam ANALYSIS exacta non est ad captum omnium, HI vero ob prolixitatem, quam ANALYSIS perfecta involvit, quæque ab iis personis, cum quibus agitur, in dijudicandis libellis istis eatenus est adhibenda, quatenus usus est. Contra prudentiam itaque certe agunt & THEOLOGI & ICTI, qui omne id ANALYTICE perficere contendunt, quicquid dicunt, agunt & faciunt. Attamen hoc prorsus aliter se habet in ARTE MEDICA. Hæc non solum in docendo & discendo, sed & in ipsa praxi semper analytica esse debet. Nam sicuti in docendo & discendo singuli conceptus MEDICAM ARTEM ingredientibus secundum genuinam PARTITIONEM institutam sunt communicandi, per DISTINCTIONES, DEFINITIONES, DIVISIONES, PROPOSITIONES & DEMONSTRATIONES, adjectis, ubi usus est, EXPOSITIONIBVS, ILLUSTRATIONIBVS, SCHOLIIS, COROLLARIIS, TRANSITIONIBVS & CONNEXIONIBVS: ita in ipsa praxi medica MEDICO PRACTICO semper occurrit quidam ægroti status valde complexus & varie compositus à MEDICO PRACTICO in singula ingredientia resolvendus. Ope nimirum accuratæ OBSERVATIONIS & REFLEXIONIS, qua VITIVM SVBREPTIONIS solícite evitatur, signa medica sunt determinanda. E signis medicis morbi species & conditio secundum quantitatem & qualitatem & colligenda atque inveniendæ. Morbi speciem & conditionem exacte cognitam & perspectam excipiunt indicantia, ex quibus Medicinæ practicus per INDICATIONEM INDICATA determinat. Atque sic ope ANALYSEOS MEDICVS RATIONALIS semper & inveniendæ artem suam exercet. Consequenter sine ARTE ANALYTICA, quam genuina docet LOGICA, RATIONALIS MEDICVS similis & MECHANICO omni GEOMETRIA & ARITHMETICA orbat &c.

§. 86. De propositarum (§. 76.) questionum ordine & partitione, ad cuius ductum in reliquam de istis tractationem descendendum est, non habeo quod addam. Repete articulatim, si tibi id non molestum sentis, quas dixi, quæstiones,

nes, & facile videbis concatenatam earum seriem. Resolve hujus catenæ articulos, & præter eorum nexum unà comprehendes omnes & singulos certò cohærere ordine. Juxta hunc igitur, quæ in hac dissertatione prima est *quæstio*, respectu prioris, cum hac connexæ (§. 75.), hic est *tertia*, proxime sequentium, maxime nempe *quarta*, *quinta* & *sexta*, disquisitio rationem suam unà habent in hac, quæ idcirco istis recte præmittitur. Ita vero habet:

Quæstio III.

An dicta tripes à DEO producta?

§. 87. *Explicatione* indigere hanc (§. 77.) *quæstionem*, prævideo. Quæ igitur, quam ad eam respondere licebit, prius hic erit præmittenda. Quæritur nempe: *An à DEO fuerit producta?* De ejus itaque *productione*, non de ejus *ortu*, cogitate loquor. Quæstio: *An divinæ sit originis nec ne?* *specialior* foret eâ, quam hic intendo. *Initium existentiae* est initium r̃g esse extra alia. *Oriri* est initium existentiae suæ accipere. *Oritur* ergo, quod existentiae suæ initium habet. Inde quid *origo*, seu *ortus*, sit, facile intelligitur. *Producere* vero est efficere, ut aliquid existat. *Productio* igitur est causalitas, qua quid suam habet existentiam, *b. e.* extra alia existit. Et *productum* est ens, quatenus ab alio suam habet existentiam. Ita *arte factum* dicitur *productum*, quatenus ex certa materia quoad formam ab artifice suam habet existentiam.

§. 88. Inde (§. 87.) *axiomata* & *confectaria*: *a.)* origo involvit initium existentiae suæ; *b.)* ortum existentiae suæ habet initium; *c.)* productio vero tantum involvit existentiae causalitatem; *d.)* productum ergo non semper involvit existentiae initium; *e.)* nec ideo semper originem; *f.)* Ergo differt ab orto; *g.)* E. latius dicitur productum quam ortum.
Demon-

Demonstrationes, quæ explicite hic addi possent, brevitatis ergo prætereo. Facile enim suppleantur à quolibet. En! itaque rationem differentiae, ex qua aliud est quærere: *an à DEO producta sint monstra?* aliud vero: *an divinae sint originis?*

§. 89. Explicatius hæc (§. 87. 88.) proponam. Intricata est quæstio, quam magna animorum contentione agitare solent de *creatione æterna*. Qui *creatum* & *creaturam* per productum, & *creationem subjectivam* per productionem explicant, & per productionem intelligunt operationem, qua quid oritur, seu ortum suum habet, ii sane aperte sibi contradicunt, aut fallaciam petitionis principii committunt in hac materia. Ex hoc capite quidam *definitionem creationis WOLFIANAM* suspectam reddere voluerunt. Licet vero *Ill. WOLFIVS* in *Psych. rat.* §. 697. creationem dixerit productionem ex nihilo, inde tamen non sequitur, eum per productionem intellexisse operationem, qua aliquid oritur. Saltem hoc nullibi dixit. Hoc potius præter alia in hac *definitione* desiderandum est, quod non explicaverit, quid per productionem intellexerit. Id enim est contra canonem: *in definiendo non omittantur definitiones, in quas alia resolvuntur*. Supra vero explicatō significatione *creatio* omnino dici potest *productio*. Ejusmodi *productio* enim non excludit *æternæ creationis possibilitatem*, quæ in genuina *creationis definitione* debet involvi. Mundum enim non ab æterno creatum esse, in *definitione creationis* gratis assumere, nefas esset. Hoc assertum pertinet ad propositiones definitæ *creatione* demum demonstrandas. *HEBR. XI. 3.*

§. 90. Præterea (§. 89.) parum philosophiæ possident, qui putant sine hæreseos macula non admitti posse *creationis æternæ possibilitatem*. *Creatura* à libero dependet *CREATORE*, ideoquæ ab æterno & non ab æterno ab ipso eam fuisse, utrinquæ possibile fuit. Ita eam in æternum durare & non durare, ipsi pariter liberum est. Hæc neque rationi nequæ *Christiadum scripturæ* repugnant. Inde enim nequæ ad præ-

teritam nequē ad futuram creaturarum existentiam *eternam* licet argumentari. Infimi enim subsellii tyrones haud nesciunt: *à posse ad esse non valere consequentiam*. Tantō possibilitatis ambitu supra (§. 88.) quæsi: *Num monstrosa ista tripes à DEO fuerit producta?* Volui quasvis comprehendere possibilitates existentiae ipsius, quam habere potuisset à DEO, si voluisset, ut, si demonstraverim, eam non esse à DEO productam, omnes unā caderent opiniones, quibus ejusmodi monstra hōc istove modō divinæ profapiæ esse, asseri posset.

§. 91. Ceterum (§. 90.) cum hac quæstione magnam habet affinitatem alia & quæ longe altioris est indaginis. Ea nempe qua disquirunt: *An divinō opere & immutabili plane necessitate quædam saltem producta sint monstra*, nec ne? Omnia enim CREATORIS esse producta, quantum equidem scio, minimū eos inter, quorum sentiendi procacitas hodie non expuncta sit & explosa, non amplius statuitur.

§. 92. Priorem ex dictis (§. 91.) quæstionibus magni nominis PHILOSOPHI & THEOLOGI multa adhucdum agitant severitate, & proxime eam resuscitavit atquē strenuē ventilandam fumsit, literatissimōquē rerum, huc spectantium, adparatu collustravit ILL. V. HALLER in opusculis suis *anatomicis VI. — X. de monstris*, ubi operose demonstratum ivit, multa monstra ita structa & præstructa comparere, ut infami *monstrorum* nomine naturæ errori tribui nequeant, sed dicenda potius sint specimina diffundentis se in infinitos archetypos divinæ sapientiæ. Quam sententiam in paragrapho ultimo ultimi de monstris opusculi contra Dn. LEMERY aliosquē ad hunc usque colophonem ita deducit: *Cogitent denique se periculosam & impietati faventem sententiam docere, posse nempe à cæca causa, omniquē intelligentia destituta, qualis casus est & fortuita pressio, fabricas oriri organicas, paresquē naturalibus. Invenerant certe hi viri, qui accidentales causas defendunt, aliam causam,*

causam, quæ faciat æqualia creatis, DIGITVMQVE ÆMVLVM DIGITI OMNIPOTENTIS.

§. 93. Profundioris hujus quæstionis (§. 92.) pelagô hac vice me pervehi non patior, qui insuper sub præsentî quæstione (§. 32. a.) illius scopulos feliciter præternavigare possum. Non de omnibus, sed de nostra tripede, moveo quæstionem: *An ista divinæ sit profapiæ nec ne?* ad quam affirmando respondere, nil ambigo. Hac itaquè affirmatione nemini eorum, qui de aliis *monstris* aliter statuunt, litem concieo. Siquis vero istam mihi conciere voluerit, petimus ab eo, ut hanc præcise, quam non divinæ profapiæ non esse statuimus, esse statuatur demonstraretque. Nulla monstra aliunde, quam à DEO esse, in priori sententia non asseritur. Inter hanc igitur nostramquè nondum est dissensus. Ipsemet magnus & dextrimus prioris sententiæ (§. 91.) propugnator (§. 92.) idem aperte profitetur *l. c. Opusculo VI. §. 16. (126.) p. 217. docens: Posse ex causis, etiam serius accedentibus, fetum ejusquè partes variis modis mutari, augeri, imminui, transponi.*

§. 94. Pagina sequenti his (§. 93.) addit: *Vt vicissim nobiscum WINSLOWIVS & à casu monstra nata esse agnoscit.* In antecedentibus *l. c. p. 207.* idem innuit, alios in partes suas tracturus dicens: *Iis postea vidi accessisse KVLMMVM, cum tamen de STAHLIANA secta esset, motum mirâ aptitudine conjuncti cordis & intestini, & nunc celeberrimum DORHOVS DE MAIRAN, & nuperrime JANVM PLONEVM omnino uti nos, & primigenia monstra, & casu nata, admittentem.*

§. 95. Sed missis hisce (§. 91. — 94.) ad tripedem nostram redeo. Hæc enim ista est monstrosa cui præsens dicata est tractatio (§. 93.). De hac quæritur (§. 86.): *An à DEO producta sit, nec ne!* Negando equidem respondendum esse, judico. Summa argumenti hoc est. DEVS & Natu-

ra nil faciunt frustra. Vulgare hoc est, sed gravius, ac vulgo cogitatur, dictum & quod *aliis* omnino ignorantiae sæpe asyllum est multis in rebus, propius demonstrandis, *aliis* contra nimis vile videtur argumentum, ubi *hypotheses* inanes excogitare malunt, quam illis hoc substituere veritatis fulcrum. Cæterum illud ratum habent confirmatumquè omnes, quotquot DEVM haud nesciunt. Nam, ut repetitis verbis PALINGENII hæc poliam,

*Quid non agnoscet, qui quam mirô ordine, quamquè
Perpetuô, quam concinne & bene machina mundi
Condita sit, secum reputet, quam membra animantium
Sint propriis aptisque locis dispôsta, suisquè
Utilia officiis & convenientia pulcre,*

QVAM NIHIL INCASSVM FACIAT NATVRA DEVSQVE.

§. 96. Frustra autem (§. 95.) adesse tertium in descripta (§. 30.) tripede pedem, quis eam aspiciens, non videt. Abundat sane, & plane inutilis non solum est, sed & noxius & multum impedimenti afferens. Pes maximâ parte bene figuratus quidem conspicitur, (§. 34.), sed qui tamen reliquum deformat corpus. Pes hic is est, quo neque stare nequè incedere poterit unquam. Pes ergo pedis muneribus obeundis impar, nec ad ullos alios usus natus. Pes pedes duos ordinarios in officiis suis potius impediens & reliqui corporis functionibus obstans. Nulla hic observatur Eurythmia, nulla concinnitas. Totus hic appendix præter omnem canonem factus est, nec ad ullum certum finem fictus.

§. 97. Impium ergo (§. 96.) foret, & supremâ sapientiâ minime dignum, statuere velle, SUMMI PLASTÆ maffinxisse deformans, utut in se maximâ parte bene conformatum, plane tamen inutile, hoc fictile, totâ suâ effigie adeo alienum. Profecto hic OMNIPOTENTIS FIGVLI digitus se non
mani-

manifestat, nec specimen alicujus sapientiæ, nec exemplar novæ creaturæ, nec documentum alicujus causæ ad certum finem directæ. Mirabiles & innumeræ sunt varietates quas sibi permisit CREATOR in ipsis creaturarum suarum speciebus. Naturam quoque non itâ legibus suis adstrinxit, quin passim paulisper possit evagari. Sed & ipsi tanta non est reservata licentia, ut, sibi relicta nec aliunde perturbata, inutilium affectrix esse possit.

§. 98. *Ipse Illustr. v. HALLER in opusc. anat. VI. §. 16. n. 126. p. m. 200. superflua & speciatim tertium pedem præter finem natis accenset, addens: Hæ ergo cobæsiones utique in § absque probabili fine fiunt. Et l. c. p. 206. VI. argumentum prolatum (§. 92, 94.) ita confirmat: minime tandem dignum videtur divinâ sapientiâ, ut directâ intentione voluntatis suæ creaturas fingat, quæ non nisi infelicissime vivere possint. Casibus humanis, secundarumque causarum viribus, morbos mortemque generandi concessit DEVS; ipse è manu sua nihil nisi perfectum emisit. Quare, ut omnia argumenta in breve robur colligantur, evictum est: Dari adunationes absque delineatione, quæ in primis staminibus non adfuerint, posse mutari partium numerum, situm, figuram, magnitudinem, causis post primam originem accedentibus. Non me fugit his verbis in sequentibus aliquam addi epicrisin, quæ vero non obstat, quin ista in nostros possint trahi partes. Id quod supra (§. 94.) citata quoque docent.*

§. 99. Tantum (§. 98.) generatim (§. 87.) ad prætentatam quæstionem (§. 86.) dictâ (§. 60.) amplitudine sumtam. Eodem uno velut ictu cadunt huic repugnantia asserta circa subsequentes proxime quæstiones, ut videri posset, has frustra distinctim subjungi. Nolui tamen eas cum priori plane implicare, sed articulatim ponere, quia forte nonnulla sunt, quæ ad istas nominatim expendi merentur. Additur itaque (§. 76. n. 4.):

Quæstio IV.

*An dicta tripes creata, vel æternò, vel primordiali,
vel succedaneò creationis opere?*

§. 100. Creare haud est *ex nihilo* aliquid *producere*, ut vulgo loquuntur. *Ex nihilo* nihil fit. *Nihilum* non est id, ex quo aliquid fit. Pone *nihilum* id esse, ex quo aliquid fit, tum materia illius, quod ita fieri dicis, erit *nihilum*. Ex quo enim aliquid est, dicitur illius *materia*, & modus per quem aliquid est, vocatur ejus *forma*. Ergo productum tuum *ex nihilo* iterum est *nihilum*, saltem quoad ejus *materiam*. Quæ quæso, ejus erit *forma*? Nonne *nihili forma*? Ecquæ ista, si de reali loqueris? Hæc cogitatu est impossibilis. Non entis nullæ sunt affectiones, nulla *materia*, nulla *forma*.

§. 101. Cave ad hæc (§. 101.) dicas: *forma dat esse rei*. Idem vulgo sed plerumque erronee dicunt. Ita enim confunditur primo *modus* in *genere* cum modo in *specie*; deinde *modus* in *specie*, cum *essentia*; præterea *essentia* cum *modo* & denique eadem cum *quidditate*, seu, ut alii rectius loquuntur, cum *entitate*, quam Veteres & Recentiores PHILOSOPHI ab *essentia* distinguunt recte & fatis technice. Sed *barbare* ita distinguunt, interpellas. Hoc nil referret, res enim non verbis, sed hæc istis adcommo^dandæ sunt. Dic eandem rem distinctam, si potes, melius, aut cogita, si CICERO suo tempore eadem profundius cogitasset, num alio usus fuisset terminò. V. DISSERT. de corde humano veri nominis antlia hydraulica (§. 76.). *Ens* est id, quod est. Hoc involvit: a) *Tò esse*, b) *Tò sic esse*. Per hoc ex illo constituitur id, quod est. Id vero quod est, per *Tò sic esse* ex *Tò esse* constitui dico, non oriri, ut exquisitioris notæ PHILOSOPHVS locutus est, ne excludam, quod est sine initio. Oriri enim involvit existentiae initium (§. 87, 88.) Inde con^{se}ctarium: *Tò esse*, non est id, quod est. Ex quibus porro intelligitur, quam discriminis ratione dicenda sint: *Entitas,*

tas, essentia & modus, quæ concrete, ut ajunt, sunt in ente. Eorum, qui de hisce talibus *transcendentibus prædicamentis* prædicare gestiunt minus honorifice, inepta judicia, hic nil ad nos, qui meliora ab aliis expectamus. Quam enim molesta est auditu eorum facundia, qui obiter & promiscue de *essentia*, de *quidditate*, *conditione*, *constitutione interna*, de *natura* &c. loquuntur.

§. 102. Tantum abest ut *metaphysica* in aliis scientiis, adeo leviter possint haberi more vulgari, ut potius sine METAPHYSICORVM exasciatis conceptibus in quàm plurimis aliis doctrinis feliciter progredi haud possimus: Ita istis contemtis ne quidem de *creatione* debite aliquid statuere licet. *Creatio* non dici potest *ortus* (§. 88.) ex *nihilo*, quia *æterna creatio* est possibilis. (§. 90.). Nec definiri potest per *productionem ex nihilo*. Nam juxta allegata (§. 100, 101.) ex *nihilo* nil fit. Ex *nihilo*, suum neque *tò esse*, neque *tò sic esse* accipit creandum: Addo: non omnem *productionem ex nihilo* esse *creationem*. Nonne cogitationes ex *nihilo* producuntur, licet non producantur à *nihilo*, ideoque productionis suæ causam realem innuant. Num vero hic alicujus *creationis* opus occurrit? Mitto alia desideranda. Quid ergo tandem est *creatio*? *Creare* est producere ens reale absque ullo præexistente ad illius complementum necessario. Ergo ad illius existentiam ante plane nihil adest. Inde, quod *creatur*, ex *nihilo* produci dicunt. Sed vel erronee, vel saltem minus apte. *Creare* est producere ens reale, *h. e.* efficere, ut existat ens reale, absque ulla præexistente materia. Ergo quoad totum illius complementum *h. e.* quoad *tò esse* & quoad *tò sic esse*, quoad *formam* & *materiam*. *Materia* autem est id, ex quo aliquid est, & *forma* est modus, per quem aliquid est. *Creatum* itaque est reale, quatenus absque ullo præexistente, ad sui complementum necessario, productum est. Et *creatio* est productio entis realis, absque ullo, ad sui complementum necessario, præexistente. Quare vel ipse SPINOZA in hac re
C 2 melius

melius locutus est, quam alii multi, qui meliora tamen sapere putantur & putari volunt. Ita enim *part. II. apend. cogitata metaphysica continente C. X. p. 127. in principia Philosophiæ de Cartes* verba ejus habent: *Dicimus creationem esse operationem, in qua nullæ causæ præter efficientem concurrunt; sive res creata est illa, quæ ad existendum nil præter DEVM præsupponit.*

§. 103. Ex his (§. 102.) itaque demum intelligitur, quo sensu hic (§. 99.) quaeratur: *An tripes dicta creata sit, nec ne?* NATURA CREATRIX ea est natura, quæ realia absque ullo præexistente, ad eorum complementum necessario, pollet producere. Hanc INFINITAM esse, nec nisi INFINITO competere ENTI, METAPHYSICI demonstrant. Nul- lum igitur est dubium NATURAM CREATRICEM, qua INFINITAM, qualiacunque possibilia realia, & proinde etiam corpora *monstruosa*, posse producere. *Sed à posse ad esse non valet consequentia.* INFINITUM unà esse sapientissimum ex ipsa INFINITI ratione pariter nos docent PHILOSOPHI METAPHYSICI. Quæ vero INFINITÆ SAPIENTIÆ repugnant, ea tribui nequeunt POTENTIÆ CREATRICI, utut INFINITÆ. Idem confirmant METAPHYSICORVM sublimiores doctrinæ. Haudquaquam igitur, quicquid OMNIPOTENTIA CREATRIX potest producere, actutum producit.

§. 104. *Monstrorum* autem (§. 103.) productionem CONDITORIS sapientiæ repugnare, supra (§. 95 — 98.) generatim demonstratum est. Quo igitur nec *monstra creationis operâ* producta esse, unà evictum est. Ad ulteriorem autem asserti confirmationem liberalius ita argumentor. Positò, non concessò, productionem *monstrorum* SUMMO PLASTÆ posse tribui, ista tamen ipsius *creatrici operationi* non poterunt tribui. Succedaneò *creationis* labore ista produci, statuere non licet. Quæcunque enim, in principiis *creationis* potuerunt produci, succedenti creaturarum seriei no-
vò

vô *creationis* opere demum ingenerari, pariter statui nequit. Reclamat huic assertioni, & CHRISTOLOGORVM, & PHILOSOPHORVM, *Theologia*. Id enim priorum docet facer codex Gen. II. 2. Hisce ratio dictitat, *creanda* ex CREATORIS sapientissimo decreto, à principio *creata* esse omnia. Sapientiae enim est, quæ brevi manu & laboris compendiô fieri possunt, non diffusi operis dispendiô & per dissita velut fragmenta operosius efficere.

§. 105. An igitur (§. 104.) forte statuendum est, alio *creationis* opere, vel *æterno*, vel *primordiali* (§. 99.) producta esse *monstra*. Nec hoc asserere, ausus fuerim. Etenim præter allata (§. 95 — 98.) hæc habeo. Summæ CONDITORIS sapientiae repugnare existimo statuere, *creari*, quæ ex *creatis* potuissent produci. *Creatio* involvit entis realis productionem, quoad totum illius complementum (§. 102.). Plus igitur operis involvit *creare* aliquid, quam ex *creatis* aliquid producere. Ibi nil, hic jam aliquid, adest, quod ad complementum entis producendi requiritur. Sin igitur aliquid fieret *creatione*, ubi jam adesset id, ex quo posset produci, tum profecto ad aliud producendum aliquid produceretur, quod jam adesset & ex quo itaque sine nova *creatione* aliud potuisset produci. Frustraneum igitur involveret laborem *creationis* actu efficere, quod sine isto ex jam *creatis* posset produci. Quis hic non videt, sapientiae refragari ejusmodi sententiam? Ponamus itaque iteratâ (§. 104.) liberiori argumentandi ratione, ponamus inquam, quod nondum concessimus, divinæ operationi tribui posse *monstruosas* fabricas, ad *creationis* opera tamen neutiquam ullo poterunt referri modô.

§. 106. Ex prælibatis (§. 103 — 105.) itaque, quæ præfius possent demonstrari, per *consequentiam immediatam* ad quæstionem formatam (§. 99.) hanc colligo responsionem: *Puella nostra tripes nullo, ideoque neque æternô; neque primordiali,*

mordiali , neque denique succedaneô , creationis opere producta est.

§. 107. Si vero tripes, de qua hic agitur, creationi suam hanc *monstrosam* non debet (§. 106.) existentiam , num forsan alio modô, vel *mediate* vel *immediate* è divina prodiit manu ? Articulatim *complexæ* hujus *questionis* momenta expendamus, ut distinctius ad istas possimus respondere. Hôc fine supra (§.76. n. 5.) separatim formata est

Quæstio V.

An præsens tripes post creationem demum immediatô divinô opere producta est?

§. 108. *Miraculum* omnino ejus insolita exhiberet fabrica, si ita (§. 107.) fuisset efformata. *Miraculum* enim id audit, quod supra creatæ naturæ vires in hoc accidit universo. *Creatam naturam* involvo in hac *miraculi* notione, ut *CREATRICEM* explicite distinguerem *NATURAM* à *creata*. Loquor in eadem de opere, quod vires creatæ naturæ in *condito* hoc excedit *universo*, ut *miraculum* discernere à *creatione*. Licet enim etiam de *creationis miraculo* loquantur, rectius tamen *creationem* à *miraculo* distingui, existimo. *Miraculum* aliàs valde obiter dicunt, id quod est supra naturam. Sed ut dixi, *creatio* est supra vires naturæ creatæ nec tamen proprie dici potest *miraculum*. Deinde *DIVINA ET INFINITA* non debite ita distinguitur *NATURA* à *natura finita*. Et licet porro posset regeri, neminem non perspicere in data definitione innui *naturam finitam*, ejusmodi tamen præsumptiones non conveniunt *arti analyticæ*. Sed nec hôc modô in salvo est dicta definitio. Nonne in *ENTE INFINITO* infinita sunt supra *creatam naturam*, quam insuper in ista definitione supponi dicis, quæ tamen nequaquam *miraculis* accensentur ?

§. 109.

§. 109. Veri nominis *miraculorum* (§. 108.) possibilitas indubiā est omnibus, si ab iis discefferis, qui DEVM ignorant, seu ut rectius loquar, sese ignorare somniant. Quas ceterum de existentia *miraculorum* movent quæstiones, illas THEOLOGIS hic reliquere possumus. Id tantum hic urgeo, quod omnes in confesso habent VERÆ THEOLOGIÆ PRÆCONES. Hi nempe dudum evicerunt, DEVM omnipotentiae suæ non adeo prodigum esse in *miraculis* edendis, ut quorundam fert superstitiosa opinio. Quæ enim *creatura* viribus præstari possunt, ea non fieri CREATORIS extraordinariâ operatione, statuere fas est. *Divinum* de condendo hoc universo *decretum* sapientissimum fuit. Ad hujus archetypum condita sunt omnia. Vt igitur in *constitutione*, ita quoquē in *consecutione rerum* omnia sapientissime coordinata & subordinata & ad optimos hac viâ consequendos fines undiquē composita sunt. Cogita hæc se non ita habere, & cogitabis unā, quod sapientiae divinæ non potest non repugnare. Sin id nondum plane assequeris, & nihilominus ad magnalia DEI manifestanda & fines hujus mundi consequendos adeo necessaria esse putas *miracula*, cur ista hodiē silent? Nusquam vero & nunquam silent *creaturæ* opera. Ita in aprico positum esse judico ne quidem vel levissimam habere verisimilitudinem, *monstra* miraculosō procreari modō! Tam facilis desiderata est ad prolatam quæstionem (§. 107.) responsio.

§. 110. Sed ultra (§. 106—109.) audiendi sunt, quorum forte interest, ut videtur, operosius defendere divinam *monstrorum* originem. Vtut, dicent, neque *creata*, neque *miraculosō* modō producta fuerit hæc tripes, inde tamen haud sequi, mediata CREATORIS operâ illam non esse productam. Hæc ea ipsa est dubitatio, ad cujus discussionem nos ducit supra (§. 76. n. 6.) ita proposita:

Quæstio

Quæstio VI.

An dicta tripes divinitus præstitutô ad ejus fabricam rerum nexu producta est?

§. 111. Incomprehensibiliter multa & fere infinita in hoc universo phænomena præstituta esse & continuo atque ubique, quæ patet orbis, mirificis ordinatissimisque mutationum in hac rerum serie successione ad sapientissimi CONDITORIS nutum sese invicem excipere, quem non edocet quotidiana experientia. Omnia vero, quæ contingunt, ab ipsomet rerum optimo Satore præfinita esse, impium foret statuere. Quemadmodum vero *multi* multa sæpe à DEO profecta esse frivole asserunt, quæ sapientiæ illius minus sunt consentanea, ita *alii* nimis timiduli ipsi tribuere recusant, quæ sapientiæ ipsius tamen nullatenus repugnarent. Vtrinque igitur cautos nos esse decet. Hac sollicitudine nos quoque versari oportet in doctrina de *monstrorum* existentia, maxime ubi, si non omnibus, quibusdam tamen (§. 98.), assignare volumus divinam originem.

§. 112. *Monstrorum* divinitus natorum patroni, sententiæ suæ rationem, notatu digniorem, vix allegare poterunt aliam, quam à fine sapientiæ divinæ competente petitam. Saltem ea vacillat facile, quam à quorundam mirifica fabrica desumunt, quoniam nulla vel intricatissima ejusmodi fabrica occurrit, quæ non ex aliunde perturbatæ *naturæ creatæ* operationibus, ad id ab ipso CONDITORE non ita præfinitis, facile possit explicari. Quæ vero in contrarium urgeri possunt rationes, à sapientia divina desumptæ, multo plures sunt & ponderosiores.

§. 113. Hac (§. 112.) argumentandi ratione supra (§. 87, — 98.) demonstrare annisum sum præsentem tripedem à DEO non esse productam. Eodem fundamento sequen-

quentes hætenus expensæ quæstiones nituntur, nec aliud ex præstructis jam suppetere video, quo suffultus ad præsentem quæstionem (§. 110.) respondere possem: hanc tripedem non divinitus præstitutâ necessitate productam esse. Dum vero hæc iteratô profundius rimor scrutiniô, in demissio-rem summæ sapientiæ meditationem me demergi sentio. Novæ subeunt animum dubitationes, multum sollicitudinis mihi creantes. Difficillimum dictu, bone DEVS! hæc ista Tuæ sapientiæ, vel convenire, vel non convenire. Quis enim mortalium tua cognovit consilia! impervestigabiles Tuæ sunt viæ. Id quod perlubenter agnoscit anima mea.

§. 114. Quid ergo (§. 113.) statuam, si quid quidem statuere licet? Quibus religiosius hæc perpendere datum est, solícite præfinitis limitibus suas hic coerceri meditationes, haud recusabunt. Equidem in re tam ardua hos mihi præfixi pietatis canones: a.) QVÆCVNQUE IN EXPLICANDIS RERVM CREATARVM ABSTRVSIORIBVS PHÆNOMENIS DIVINÆ MANIFESTO ET INDVBIE REPVGNANT SAPIENTIÆ, EA OMNINO SERIO REJICIENDA SVNT, VTVT SPECIOSISSIMIS, VNDECVNQUE CORRASIS, VERISIMILITVDINIBVS NOBIS OBTRVDERE AN-
NITANTVR ALII. Hic enim neutiquam allegare licet ab-
ditos DOMINI vias; b.) VBICVNQUE RERVM PHYSI-
CARVM COGNITIO NOS DESERIT, IBI HAUD TVRPE
PVTANDVM EST, AD STABILIENTDAS DOCTRINAS PHY-
SICAS, EA ASSVMERE, QVÆ ATTRIBVTIS DIVINIS
SVNT CONSENTANEA. Tutius enim est in abditis rerum
causis suam profiteri ignorantiam & sublimius quærere re-
fugium, quam nullum, aut frivolas fingere *hypotheses*; c.) SI
FORTE OPPOSITÆ SENTENTIÆ VTRINQUE NON AD-
VERSARI VIDERENTVR ATTRIBVTIS DIVINIS, EA
PRÆFERATVR, QVÆ MINVS ADVERSATVR, NISI QVI-
DEM ALIA ALIVNDE SVPPETANT PRINCIPIA. Tum enim
vias DOMINI allegare licet impervestigabiles; d.) QVÆ-
D CYN-

CVNQVE PER CONDITÆ NATVRÆ VIRES SVNT POSSIBILIA, EA NON TRIBVENDA SVNT IMMEDIATÆ CONDITORIS OPERATIONI, nisi ratio hujus certa aliunde possit demonstrari; e.) QVÆCVQVE DENIQVE AB ORDINARIIS NATVRÆ LEGIBVS ABLVDVNT, EA AB IP SO CREATORE NON PRÆSTITVTA ET ALIVNDE ILLATA ESSE, STATVERE FAS EST, NISI CONTRARIVM ALIVNDE CERTO POSSIT DEMONSTRARI, MAXIME VBI EJVSMODI INSOLITA PHÆNOMENA SAPIENTIÆ ALIISVE ATTRIBVTIS DIVINIS MINVS CONVENIRE VIDENTVR. Tutius saltem est DIVINITATI non tribuere, quæ ipsi repugnare videntur, utut etiam non repugnauerint, quam tribuere, quæ ipsi tribui posse, certo nondum constat.

§. 115. Digna sunt, quæ huc trahantur, dictis (§. 114.) exquisitius respondentia dogmata cel. C. A. CRVSII, qui in *physices* suæ p. I. c. I. §. 35. p. m. 62. ita: Was mit den Eigenschaften Gottes wahrscheinlicher Weise streitet, nemlich also, daß man nicht siehet, wie es damit zu vergleichen ist; und was gleichwohl nicht erwiesen werden kan, das darf in der Naturlehre nicht præsumirt werden; sondern wenn eine andere Erklärung zu finden möglich ist, so muß dieselbe vorgezogen werden. Denn wir haben die Verbindlichkeit die Gefahr zu vermeiden, unserem Schöpfer etwas unanständiges anzudichten, welches nicht anders als auf diese Weise geschehen kan. Ich rede mit Bedacht nur von einem solchen Streit mit den Eigenschaften Gottes, da man nicht siehet, wie etwas damit zu vergleichen ist. Denn liesse es sich demonstriren, daß es damit stritte, so wäre der Grundsatz, daß ein solches Vorgeben zu verwerfen seye, nicht mehr eine Regel vor den Erkenntniß-Weg des Wahrscheinlichen, sondern es gehörte zu dem Erkenntniß-Weg der Demonstration. Ferner habe ich erfordert, daß die unglücklich-scheinende Sache, davon man redt, nicht ihrer Existenz nach besonders muß können bewiesen werden. Denn sonst hätten wir um des Beweises willen
nur

nur Verbindlichkeit, sie dennoch anzunehmen, und die übrigbleibende Schwierigkeit vor eine Folge unserer Einschränkung, und vor eine bloße Lücke unserer Erkenntniß zu halten. Conferantur, quæ l. c. §. 42. leguntur.

§. 116. Neminem spero fore, qui adeo manifestos canones (§. 114, 115.) non admittat in rebus physicis ideoque etiam in *monstrosis* naturæ phænomenis dijudicandis. In eorum vero ampliorem evolutionem sese haud diffundit præsens tractatio. Ad rem præsentem applicatu isti quoque sunt facillimi, ut sine ulterioribus ambagibus inde inferre liceat, tripedem saltem, de quæ hic agimus, nequaquam à DEO productam esse. Inde generalis ad propositam (§. 110.) proximam quæstionem hæc responsio: *Dicta tripes nequaquam divinitus præstitutô causarum nexu producta est.* Reliquæ binæ quæstiones, quas ista sub se complectitur, hæ sunt: *E. puella hæc ne quidem ad hypotheticam; E. multo minus ad absolutam, fabricæ suæ necessitatem præstitutô causarum effectricium nexu divinitus producta est.*

§. 117. Inter explicatas hætenus (§. 86, 116.) de divinitus prognatis *monstris* possibiles opiniones, omnium tolerabilissima esset ea, qua statueretur, ista hypotheticô necessitatis nexu, divinitus præstitutô, esse producta. Producta, cogitate dico, non præformata, posterius enim obstarret jam demonstratis & huic, quem prioribus (§. 114, 115.) persuasissimus addo, repugnaret canoni, in *ætiologia physica*, ni omnia me fallunt, gravissimo & firmiter tenendo: *QVÆCUNQUE PRODUCI POSSUNT CREATÆ NATURÆ VIRIBVS FORMATRICIBVS, EA CREATRICIS NATURÆ POTENTIA EFFORMATA ET PRÆFORMATA ESSE, HAUD STATVENDVM EST, NI CONTRARIVM ALIVNDE CERTO CONSTET.*

§. 118. Utut igitur (§. 117.) sententia de *monstris*, hypothe-

potheticâ necessitate præstitutis, æquior sit & tolerabilior, quam reliquæ omnes, quæ de istis poni possunt *hypotheses*, ista tamen neque *in genere*, neque *in specie*, neque *in individuo* & *singulari* prius poterit admitti, quam irrefutabili certitudine demonstrari possit (§. 115. e. 116.). *Monstra*, ut robur argumenti allati colligam, monstra, inquam, dicto modo divinitus efformata esse, aut certò constat, aut non & verisimiliter tantum. Posteriori hoc sumto, ista divinitus ita efformata esse, haud par est, præsumere. Posito priori omnino omnis cessaret disceptatio. Quæ enim *demonstrationis* viâ suam inveniunt certitudinem omni exceptione sunt majora & æternæ immutabili veritati accensenda. Ast unde, obsecro, indubia & amplius cadere nescia suppetunt argumenta, quibus inexpugnabile firmamentum subterni possit commemoratæ sententiæ? Quamdiu igitur non poterit certo demonstrari, tamdiu non licebit verisimiliter tantum præsumere, *monstra* à DEO, aut præformata, aut aliâ, vel immediatâ, vel remotiore, ejus operatione, præstructa esse. Quantum roboris habeat hæc argumentatio, nondum debita expensa, judicent æqui rerum aestimatores. Nec me forte primum esse, qui ita in apricum productò hoc utor argumentò, ipsius quid detrahet robori. Suâ enim, non dicentis, autoritate superbit veritas.

§. 119. Ita (§. 118.) corroboratur alterum (§. 116.) de puella nostra assertum, quo docetur, eam ne quidem *contingenter præstitutò* generationis *necessitate* à DEO productam esse. Quis enim certis & plane sufficientibus evicerit rationibus, eam ita factam esse? Quod si vero id demonstratâ certitudine non poterit dici, verisimiliter id dicere non licebit (§. 115. e. 116.). Statuendum igitur est eam non ita *divinitus præstitutis* causis suam debere originem. Ergo multo minus ad *absolutam* fabricæ suæ necessitudinem *præstitutò* causarum effectricium *nexu* divinitus producta est.

§. 120. Hæc (§. 119.) ut explanatius intelligantur sequentia notanda sunt. Profundiores quidam METAPHYSICI Tò *necesse* distinguunt à *neccessario*, latius sumtò posteriori terminò & priori tantum ad Tò *esse* relatò. Per Tò *necesse* nempe notant modum essendi secundum quem id, quod est, ita est, ut negatio $\tau\tilde{s}$ *esse* illius contradictionem involvat. Hujus abstractum dicunt *necessitatem*. *Neccessarium* vocant omne id, quod quodammodo non negari potest atque sub hac comprehendunt Tò *necesse*, & hujus abstractum apte notant per *necessitudinis* vocabulum. Vid. STRÆHLERI commentatio succincta de sensu & usu principii rationis sufficientis C. II. art. I. §. 138, 139. SCHEIBLERI opus metaph. L. I. c. 18. n. 1. art. 1. num marg. 1. Quoniam vero ejusmodi subtilitates non omnibus arrident, nec istæ hòc locò observatu adeo necessariae, æquipollente significato hic summam, tam *necesse* & *neccessarium*, quam *necessitatem* & *necessitudinem*. Id quod tamen indicare debui, ne, qui intimius ejusmodi res rimari solent, me obiter & sine ratione synonymice uti velle his terminis, judicent.

§. 121. *Neccessarium* generatim dicitur aliquid, quatenus negari nequit, seu quatenus negatio ejus est impossibilis h. e. contradictionem involvit. *Neccitas* ergo est Tò *esse*, quod negari nequit, seu Tò *esse*, cujus negatio est impossibilis h. e. contradictionem involvit. Vi reflexionis præcipuamprehendimus varietatem in modo, juxta quem aliquid negari nequit. Quicquid nempe negatu est impossibile, illius negatio, aut per se, aut respectu alterius, contradictionem involvit: Hòc fundamentò nititur præcipua *neccessarii* adæquata divisio, quam juxta illud est: a) vel *absolute*; b) vel *relative necessary*. *Absolute necessary* igitur est *neccessarium*, quatenus per se negari nequit, seu quatenus per se negatu est impossibile, h. e. cujus negatio, seu non esse, per se involvit contradictionem. *Relative necessary* vero est *neccessarium*, quod respectu alterius negari nequit. Inde dicuntur

cuntur *necessitas absoluta & respectiva*. Utriusque *abstracti* notionis ex modo explicatis *concretis* sponte parent. Illa quoque *necessitas interna*, seu *intrinseca* appellatur, quia in ipso *subjecto*, cui inest, suam habet rationem; quatenus autem à *fato* dependet, *fatalis*, quæ est vel *cæca*, vel *consulta*. *Necessitas respectiva* ita dicitur, quatenus respectum rationis extra suum *subjectum* habet, & *externa* s. *extrinseca* nuncupatur, quatenus extra *subjectum* suum aliam quoque *conditionem*, seu *hypothesein*, tanquam *rationem externam* agnoscit. Unde quoque dicitur *hypothetica*, quia citra hanc *hypothesein* negatio nullam involvit contradictionem.

§. 122. Essentias rerum *absolute necessarias* esse METAPHYSICI non una argumentandi ratione demonstrant. Ex quo *absolutam necessitatem* quoque dicunt *necessitatem essentiae* & in *subjectis activis naturæ necessitatem* & quoniam circa *essentias* maxime occupati sunt, *necessitatem metaphysicam*. Imo alii eandem nuncupant *geometricam*, item *mechanicam*, quoniam ista in rebus *geometricis* & *mechanicis* quoque occurrit. Ast quorsum hæc synonyma? Rectius acquiescimus terminò *necessitatis respectivæ*, quæ *necessitatem, absolutæ oppositam*, aptissime exprimit & accuratius in suas iterum dispescitur species.

§. 123. Præterea (§. 121.) *necessitas* alia est *logica*, quam *necessitatem prædicationis* & *incomplexam* quoque dicunt, alia vero *necessitas rei*, *complexa* quoque dicta. *Necessitas logica* & recte & utiliter dispescitur in *necessitatem definitionis*, *consequentis* & *consequentiae*. Prima debetur *necessitati notionis*, & hujus *necessitas necessitati rei*. Secunda occurrit in *propositione per se spectata*, tertia in *modis argumentandi*, & consistit in *ratione*, per quam uno positò aliud non potest poni. Hæc posterior sub se comprehendit *necessitatem demonstrationis*. Ceterum *necessitas consequentis* est: vel *absoluta*; vel *hypothetica*.

§. 124. Caveamus igitur (§. 119.) solícite, ne confundamus

damus ejusmodi *necessitates*. Neque enim à *necessitate prædicationis* ad *necessitatem rei*, nequè à *necessitate consequentiæ* & *demonstrationis* ad *necessitatem consequentis*, nequè à *necessitate consequentis hypothetica* ad *necessitatem consequentis absolutam* aut *v. v.* valet *consequentia*. Ita *veritatem necessariam* non *tolle* *contingentiam* in hoc universo, dilucide jam habent *Dilucidationes BÜLFINGERIANÆ* §. 79. Licet enim *necessaria* sit *veritas*: *Nil esse sine ratione sufficiente*, aliud tamen est ipsum hoc *principium*, aliud id, quod habet *rationem sufficientem*. *Necessarium* est, ut nil sit *sine ratione sufficiente*, sed non omne id, quod habet *rationem sufficientem*, est *necessarium*. Ex *principio* igitur *rationis sufficientis* non sequitur *absoluta necessitas*. En! usum *distinctionis* inter *necessitatem prædicationis* & *necessitatem rei*. Deinde ex dictis patet, *methodum demonstrativam*, quam alias quoque dicunt *geometricam* & *mathematicam*, locum quoque invenire in *physico-medice*, *moralibus*, *juridicis* & *theologicis*, quatenus hic æque bene ac alibi occurrit *necessitas prædicationis*. Nec ab hac *methodo SPINOZISMI*, ut quidam volunt, imminet periculum. A *necessitate* enim *adcuratæ demonstrationis* & , quæ in ista continetur, *consequentiae*, neutiquam ad *necessitatem consequentis*, multo minus ad *necessitatem rei*, licet semper argumentari. De reliquo notandum inter *demonstrationes mathematicas* & *philosophicas*, quoad *materiam*, notabilem adhuc intercedere *diversitatem*. *Istæ* licet non semper, ut *v. g.* in *Astronomia* & *Architectura*, plerumque tamen, *absolutam* involvunt *necessitatem*. Hæ autem plerumque, maxime in *physicis* & *moralibus*, *hypotheticam* tantum habent *necessitatem*. v. citata (§. 120.) *comment. de sensu* & usu *principii rationis sufficientis* c. II. art. I. §. 146-150.

§. 125. Altera (§. 123.) *necessitatis species* est *necessitas rei*. Hæc tam in *essentiis rerum*, quam in earum *modis* quærenda est. Ideoque recte dividitur in *essentialem* & *modalem*. *Illam* semper esse *absolutam* ex antecedentibus constat. *Posterior* vero ea ipsa est, quæ omnino æquè ac *necessitas consequen-*

sequentis (§. 120.) denuo dividitur in *absolutam* & *hypotheticam*. *Necessitas modalis* ut ea est, quæ in modis entium, ita *necessitas modalis absoluta* est, quæ in *propriis* entium suam habet rationem. *Proprium* enim, seu *attributum*, in sola *essentia* suam agnoscit rationem & propterea est *modus absolute necessarius*. *Modus vero hypothetice necessarius* dicitur *modus*, quatenus ejus negatio & impossibilis, ob rationem sic se habentem, quæ tamen aliter se habere posset. Ab hoc dicitur *necessitas modalis hypothetica*, quæ in rebus *physicis* & *moralibus* maxime solemnis est. Unde ista quoque pro diversitate *subjecti* dicitur, vel *physica*, vel *moralis*.

§. 126. Ad modos pertinet *existentia*. Inde *necessitas existentia* est: vel *absoluta*, vel *hypothetica*, æquè ac *necessitas materiae* & *formæ*. Haud enim omnis *necessitas materiae* & *formæ* est *absoluta*, v. gr. *quantitas extensiva* & *gradus*. Ad modos *necessarios* referendi sunt porro qui dependent à *causa efficiente* & *finali*, verbo: *sine*. Inde *necessitas constitutionis*, quæ est, vel *necessitas naturæ*, vel *moralis* & hæc vel *violentie*, quæ dicitur *coactio*, vel *obligationis*, quæ rationem habet in ipsa *conditione actionis moralis intrinseca*. Unde hanc *obligationem* quidem etiam dicunt *internam*, à qua differt *obligatio externa*, quæ *divina* est, quatenus *ratio necessitatis* est in voluntate DEI, & *civilis*, quatenus *ratio necessitatis* est in voluntate legislatoris humani. Ad *necessitatem constitutionis* pertinet quoque *necessitas medii*, ratione finis obtinendi *necessarii*, quam dividunt in *necessitatem exigentia* & *expedientia*, seu *commoditatis*. Ex quibus simul patescit, quid sit *necessitare*. Quicquid *determinat*, illud *necessitat*, quicquid vero *necessitat*, illud non semper *absolute necessitat*. Hoc *determinationis unicitatem* involvit.

§. 127. De *necessitate constitutionis* & *consecutionis* varii varie loquuntur & instabili hōc dicendi genere variam variis aberrationibus vel ipsis FATALISTIS dant occasionem. Simili
scandalo

scandalo obnoxia est divisio *necessitatis absolute* in *internam* & *externam*. Taceo ita entia multiplicari præter necessitatem. *Constitutiva* sunt: vel *externa*, vel *interna*. Illa sunt: *causa efficiens* & *finalis*. Hæc, ab *essentialibus* quoddammodo distincta, sunt *materia* & *forma*. Ad *consecutiva* pertinent *modi* & *effectus*. Inde intellectu facile est, quid sit *necessitas consecutionis* & *consecutionis*.

§. 128. *Necessario contrarie opponitur contingens*. Per hoc intelligitur ens quodvis, quatenus potest negari, seu quod negatu est possibile *h. e.* cujus negatio nullam involvit contradictionem. *Contingentia* est *to esse*, cujus negatio nullam involvit contradictionem. Hæc itaque coincidit cum *hypothetica necessitate* (§. 122.). *Hypothetice necessarium*, in se spectatum, omnino est *contingens*. Negatio ejus enim, quod certo respectu tantum negari nequit, non omnimodam involvit contradictionem, ideoquæ alio respectu potest negari, & quatenus aliquid potest negari, eatenus est *contingens*. *Contingens* enim est, quatenus ejus negatio nullam involvit contradictionem.

§. 129. *Contingentia* (§. 128.) pariter ac *necessitas* (§. 123.) alia est *logica*, seu *in complexa*, alia *rei*, seu *complexa*. Illa consistit in nexu subjecti & prædicati. Ita v. gr. qui Medicinæ aliasve Disciplinæ *Doctores* audiunt, æquæ ac ii, qui *docentur*, *docti* esse possunt vel fieri & non esse, vel *indocti* esse & manere. En! *contingentias docentium* æque ac *discentium* & denique *titulorum academicorum* aliorumque, quos habent, ambiunt & accipiunt. Vtriusque *contingentiæ*, *logicæ* & *rei*, reliquæ *divisiones* eodem fere se habent modò ac supra (*l. c.*) commemoratæ *necessitatis divisiones* inferiores & propterea ex *analogia* facile supplentur. Præterea distinguere expedit *æqualiter* & *inequaliter contingentia*, prout nempe plus minusve se habent *ad esse* aut *non esse*.

§. 130. Quod hujus *universi contingentiam* attinet, illa est: vel *existentiae*, vel *consecutionis eventuum* in illo *occurrentium*. *Contingenter* existere hoc universum *lemmatis* locô hic sumere licet. Hanc enim *contingentiam*, à libero CREANTE dependentem, ne ii quidem indubium possunt vocare, qui præter *creationis aeternæ* possibilitatem ipsam *existentiam* mundi *aeternam* assumunt, à CREATORE nempe dependentem. Qui verò hunc non agnoscunt, cum istis hic rem non habemus. Nonne igitur, ideo *eventus* in hoc mundo dicendi sunt *contingentes*, quia is *contingenter* existit? Ita quidam summi nominis PHILOSOPHI ratiocinati sunt. Verùm enim vero à *contingentia constitutionis* ad *contingentiam consecutionis* non valet *consequencia*. Horologii faber profecto *contingenter* & libere suam facit machinam. In hac vero nulla datur *contingentia consecutionis*. Omnes in ista motus, ad quos determinata est, eo, quo eveniunt, ordine, non possunt non evenire & propterea necessario eveniunt. Pone, ut solent, mundum præsentem horologii locô, & faciliè videbis, quam inconveniens sit eorum argumentandi ratio, qui ab *existentiæ mundi* hujus *contingentia*, ad *contingentes* in isto *eventus* concludunt. Id jam melius perspexerant ipsi STOICI, qui primæ *constitutionis contingentiam* haud negarunt, & *fatum*, ut loquitur SENECA, nihilominus ab *omnium conditore ac rectore scriptum* esse statuerunt. Inde eorum & sociorum suorum cantilena:

*Duc summe pater, altique dominator poli,
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger, fac nolle, comitabor gemens
Malusque patiar facere, quod licuit bono.*

DVCVNT VOLENTEM FATA, NOLENTEM TRAHVNT.

§. 131. Durius loqui videtur ILL. WOLFEIVS in *Met.* §. 999. scribens: Unterdeffen, da Gott alles deutlich erkennet, was in der Welt ist, und ihren ganzen Zusammenhang einsieht,
und


und wie aus dessen Uebereinstimmung die Vollkommenheit erwächst, dardurch sein Wille bewegt wird, so geht sein Rathschluß auf alles, und kan nichts kommen, als was Er beschloffen hat, aber auch nichts ausbleiben, was Er beschloffen hat. Hanc suspectam aliis visam sententiam defendere anisus est in annot. Met. §. 375. dicens: Indem ich schreibe, Gottes Rathschluß gehe auf alles &c. so vermeint man mich gefangen zu haben, und gibt vor, hier lege ich von mehr als einem stoischen *fato*, oder Verhängniß, ein offenherziges Zeugniß ab. Wer hat jemals gelehrt, daß durch den Rathschluß Gottes die Dinge in ihrem Wesen und Natur geändert werden Man findet das Gegentheil in allen Compendiis Theologicis &c. Quomodocunque hæc se habeat defensio, nulla saltem *contingentia* ratio in scriptis suis aperte allegata deprehenditur sufficiens.

§. 132. Ex quo igitur tandem demonstrabilis est *contingentia eventuum* in hoc mundo, speciatim corporeo? Paucis hanc expediam demonstrationem alibi ulterius evolendam. *Nil est sine ratione sufficiente.* Hoc vero principium nequaquam tollit rerum *contingentiam* (§. 124.), ut quidam in cauti voluerunt. Distinguendum modo est inter *rationem intrinsecam* & *extrinsecam*. Ratio *contingentia* in re ipsa potius, quam *extra illam*, nec in rerum pluralitate, quærenda est. Eventus in hoc mundo corporeo fiunt motu materiæ. Motus fiunt à viribus motricibus. Vires motrices sunt finitæ. Vires finitæ in qualitate variæ sunt determinabiles. Nulla earum potest omnia. Quælibet igitur salva essentia in quantitate à se differre potest. E. contingens est ejus quantitas. Nulla porro vis motrix omnem habet directionem. Cuivis certa quædam data est tendentiæ modificatio. Vis finita ad certam tantum tendit plagam. Ideoque alia interveniente potest mutari. Celeritates, directiones igitur varie mutabiles sunt. Leges ipsis scriptæ contingentes. E. motus sunt contingentes. E. quæcunque fiunt in mundo corporeo, sunt *contingentia*. E. evenus omnes in isto contingunt. Ast quor-

sum hæc omnia? ut inde inferre possem nullâ *absolutâ necessitate*, nullo *fato stoicô*, hunc regi mundum, ne quidem corporeum. Ita enim demonstratum est, & axiomaticis loco poni potest, quod demonstrare volui: *Monstra non absolutâ necessitate* divinitus præstituta esse, tripidem nostram hoc fatô haud natam esse. An vero *contingenter* forsan illa divinitus præstituta est. Huic sententiæ obstare video, quæ supra dixi (§. 95—97, 114, 115.), non amplius repetenda. Tantum igitur abest, ut ista divinitus *absolute præstitutâ necessitate* hac induta sit fabricâ, ut ne quidem hypotheticô ejusmodi coactu in hunc redacta fuerit statum *monstruosum*. Neque igitur his, neque dictis supra, modis eam à DEO productam esse, totius præsentis tractationis est conclusio &

F I N I S.





NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Quam dare, sumere maluisti, solitum inaugu-
rale Scriptum academicum, quo defendendo
TVAM FAVOR ET AMICE HONORA-
TISSIME! laudabilem in studio inter nos medico as-
siduitatem & dexteritatem publice tandem possis
comprobare atque hōcce specimine testatum facere,
TE, quem ordo noster post debite exantlata exa-
mina jam declaravit, eum, inquam, esse, qui dignus
petere possit honores & privilegia, quæ ad altiora
aspirantium Philiatorum coronant opus. Quam su-
mere, dare contra, quandoquidem alii malunt ejusmodi
scripta, reapse eadem modò dantes, modò se dare fingen-
tes, utrinque infeliciori haud raro eventu, utpote qui prio-
ri casu, vel immaturos, vel plane monstruosos, immo mon-
struosissimos, enituntur partus; posteriori vero malâ
fortunâ esse non putantur, quales se putari volunt pu-
tantque putari. Scopulos hos præternavigare con-
sultum habuisti ideoque ad nutum ipsius quoque Ex-
PERI-

sum hæc omnia? ut inde inferre possem nullâ *absolutâ necessitate*, nullo *fato stoicô*, hunc regi mundum, ne quidem corporeum. Ita enim demonstratum est, & axiomaticis loco poni potest, quod demonstrare volui: *Monstra non absolutâ necessitate* divinitus præstituta esse, tripidem nostram hoc fatô haud natam esse. An vero *contingenter* forsan illa divinitus præstituta est. Huic sententiæ obstare video, quæ supra dixi (§. 95—97, 114, 115.), non amplius repetenda. Tantùm igitur abest, ut ista divinitus *absolute præstitutâ necessitate* hac induta sit fabricâ, ut ne quidem hypotheticô ejusmodi coactu in hunc redacta fuerit statum *monstrorum*. Neque igitur his, neque dictis supra, modis eam à DEO productam esse, totius præsentis tractationis est conclusio &

F I N I S.






NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.


P R A E S E S.

Quam dare, sumere maluisti, solitum inaugu-
rale Scriptum academicum, quo defendendo
TVAM FAVOR ET AMICE HONORA-
TISSIME! laudabilem in studio inter nos medico as-
siduitatem & dexteritatem publice tandem possis
comprobare atque hōcce specimine testatum facere,
TE, quem ordo noster post debite exantlata exa-
mina jam declaravit, eum, inquam, esse, qui dignus
petere possit honores & privilegia, quæ ad altiora
aspirantium Philiatorum coronant opus. Quam su-
mere, dare contra, quandoquidem alii malunt ejusmodi
scripta, reapse eadem modò dantes, modò se dare fingen-
tes, utrinque infeliciori haud raro eventu, utpote qui prio-
ri casu, vel immaturos, vel plane monstruosos, immo mon-
struosissimos, enituntur partus; posteriori vero malâ
fortunâ esse non putantur, quales se putari volunt pu-
tantque putari. Scopulos hos præternavigare con-
sultum habuisti ideoque ad nutum ipsius quoque Ex-
PERI-



PERIENTISSIMI PATRIS TVI à me exarari ma-
luisti dissertationem, ad cujus ductum publicum
studiorum TVORVM possis edere testimonium. Ac-
cipe igitur, quas præfinito huic fini dicavi pagellas,
accipe aliquam tripedis Haiterbacensis consideratio-
nem dogmaticam, aliquam, repeto, sed sufficientem
ad comprobandos in istius defensione profectus
TVos. Assiduum TE rerum medicarum, tam theo-
reticarum, quam practicarum, semper fuisse cultor-
em, norunt omnes. Inde TVVM à nostris subseliis
ad lectos ægrotorum transitum haud infelicem fore,
spes affulget magna, eademque eo major, quo feli-
ciorem longôque usu exercitationem in adgredienda
praxi TVA medica habes ducem, Patrem TVVM
puto, sub cujus auspiciis, quam acquisitus es, cog-
nitionem medicam feliciter poteris adplicare. Multi
fane multo plura scire putarunt Asclepiadis filii,
quam se scire demum experti sunt ad lectos ægro-
torum venientes. Quam igitur præ aliis fortu-
nati censendi sunt, qui in praxi medica, ubi de
corio luditur humano, aliorum, usu præstantium, na-
turæ consultorum autoritate, exemplo & institutio-
ne suffulti prima sua facere possunt tentamina, do-
nec ipsimet propriô exercitiô in rebus suis agendis
obfirmati sint. Gratulor TIBI hanc TVAM, No-

BILIS-



BILISSIME DOMINE CANDIDATE! prærogativam.
Gratulor TIBI honores TVOS præsentem. Gratu-
lor ægrotis TVIS felicem Practicum. Gratulor
Parentibus TVIS optimæ spei filium. Ita TE TV-
OSQVE salvos esse jubeo, qualiacunque mea spon-
dens officia.

Dabam è museo

d. 28. Nov.

1755.



THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
NEW YORK
1875



Fig. 1.



Fig. II.



